



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 142. Quandonam universaliter cesset lex vel ejus obligatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

communiter omnes macerentur, quæ præsumptio  
semper est vera.

*Obj. 2.* Si lex obliget totum hunc Episcopatum, & finis legis cesseret in hac urbe, etiam cessat in in hac urbe obligatio legis, ergo etiam si lex obliget omnes subditos, & finis ejus cesseret in hoc subdito, in hoc cessat obligatio legis, ita *Arr. R.* Dato Ante. N. Conseq., disparitas est, quod hæc urbs faciat perfectam communitatem, adeoque lex talis sit vir- tualiter multiplex, unde si respectu hujus communitatis cesseret finis, cessat adæquatus finis hujus legis, prout erat lex hujus communitatis: simile non est de singulis privatis, nam respectu privatorum nulla datur lex.

*Obj. 3.* Si lex Superioris prohibeat Religiosis, ne aspiciant per fenestram, ut sic consulatur castitati, qui noctu in tenebris aspicit, non peccat contra legem, quia in hoc casu particulari cessat finis legis, ergo idem est in similibus casibus de omni alia lege, ita *Arr. R.* Lex illa nunquam prohibuit aspicere in illis circumstantiis, quia sic esset irrationalis & de re inutili: itaque tantum prohibuit, ubi ratione aspectus erat secundum se periculum, quamvis forte per accidens ratione hujus vel illius subjecti non esset periculum.

*Q. 142. Quandonam universaliter cesseret lex vel ejus obligatio. R.*

§. I. Imprimis cessat, si abrogetur, potest autem abrogari, vel ab illo, qui tulit, vel ab ejus Successore, vel ab utriusque Superiore, non autem ab inferiore: abrogatur autem lex etiam tacite, si Princeps videns non observari, etiam per paucos annos, non urgeat ejus observationem, cum facile possit, ut notat cum aliis multis *Lugo de Just. d. 6. n. 92.* Quod si abroget expressè per voluntatem vel legem contrariam, tanto certius inno-

innovescit finis obligationis. Quod si fuerit abrogata, desinit illius obligatio apud omnes, etiam si abrogatio non fuerit promulgata, dummodo voluntas abrogatoria fuerit exterius manifestata, ita *Lef. in Auct. V. Matrimonium, C. 7. Ills. t. I. d. 2. n. 60.* Per hoc autem distinguitur abrogatio à derogatione, quod lex per abrogationem cesseret ex toto, per derogationem tantum ex parte, ut sit per dispensationem, presumptionem licentiae, interpretationem, epikiam, de quibus ante dictum est. Quod si lex abrogetur per Constitutionem legis contrariae, si lex abrogata contineatur in Corpore Juris, non est opus hujus fieri mentionem, quia supponitur ejus scientia in Superiore; si autem non contineatur, debet illius fieri expressa mentio, ut habetur Cap. I. de Constitutionibus in 6.

**374** §. II. Etiam cessat, si sit præscriptio aut consti-tudo contraria invaleat: putant autem *Azor, Lef. Sa, Castrop.* apud *Lugo* n. 91., sufficere 10. annos ad abrogandam legem etiam Canonicam, quia 10. anni in jure sunt longam tempus: sed universaliter dicendum, sufficere illud tempus, quod judicio prudentum sat sit, ut de vigente consuetudine contraria sufficienter instrui potuerit legislator, eamque cognitam tamdiu vigere permiserit, ut meritò censeatur adesse ejus consensus saltem tacitus, ex quo nolit, ut lex sua imposterum subditos obstringat.

**375** §. III. Etiam cessat, si cesseret tota causa finalis legis, ut dictum est in q. præced.

**376** §. IV. Non est idem de præcepto, quod de legi nam præceptum particulari personæ injunctum communiter cessat morte mandantis, hinc l. 26. ff. *mandati, dicitur, mandatum solvitur morte:* Ratio est, quia non fertur toti Reipublicæ, nec nomine illius, sed nomine mandantis, & ob curam debitam

singu-

singulari personæ, mandans autem emoritur, adeo-  
que cessat ejus voluntas & cura respectu singularis  
personæ: è contrà lex fertur toti Reipublicæ & no-  
mine sive auctoritate illius, quæ non emoritur, sed  
voluit suam & sui curam esse perpetuam. *Dixi*, com-  
muniter, quia mandans potest per potestatem legis-  
lativam aliter disponere, sicenim mandare potest,  
ut aliquid post mortem suam executioni detur; item  
potest concedere alteri jurisdictionem, quæ, si causa  
suerit inchoata, non desinit morte mandantis; item  
præcepta, quæ sunt in Bulla cænæ, non exspirant per  
mortem Papæ, sed durant usque ad promulgationem  
novæ Bullæ; similiter in Societate J E S U præcepta,  
quæ ponunt Generales, sunt perpetua ex speciali di-  
spositione Constitutionum, uti dictum est n. 566. Vi-  
deri potest Bonar. de restit. d. I. q. 2. p. 6. à n. 24. &  
Pib. I. I. t. 29. f. 7.

L. 143. *An definat obligari, qui probabiliter* 877  
*judicat se non obligari lege.* R. Excusatur ab obliga-  
tione, si occasio sit subita & urgens periculum, ita ut  
non detur tempus consulendi Superiorem, ita S. Th.  
Caj. Sot. Suar. de leg. l. 6. c. 8. à n. 3. Teril. in Reg.  
q. 59. aff. 6. Quod si ad Superiorem recurri possit,  
Suar. n. 9. dicit esse sententiam communem usu o-  
mnium priorum & prudentum receptam, quod re-  
curri debeat, si non sit in mora periculum. Similiter  
si judicari non posset probabiliter, sed merè dubium  
esset, an casus comprehendatur sub lege, recurrentum  
est ad Superiorem, si fieri possit; si autem fieri non  
possit, servanda est lex, uti docent S. Th. Caj. Conr.  
Med.; & in casu paciente moram est per se evidens,  
inquit Suar. n. 10., quod plerique etiam dicunt, li-  
cet sit casus subitus, quia tum possidet lex, nec potest  
prudenter deponi dubium, nisi forte esset conflictus  
alterius legis etiam sub peccato obligantis, cuius  
transgres-